4 bis

CHRISTIANUS THOMASIUS,

JCtus, Conſil. Elect. Brandenb. Prof.
Publ. Univerſ. Frider. & Facult.
Jurid. Senior
ad Lectiones curſorias
ſuper tit. ff. de dolo malo
die 11. & 12. Sept. horâ pomer. I.
& Diſputationem inauguralem
DE

JURE PRINCIPIS
CIRCA ADIAPHORA

d. 13. ejusd. menſis Horis Ante- & Pomerid.
à
DN. ENNONE RUDOLPHO Brenneyſen/
Eſenâ-Friſio
J. U. Candidato
habendas
decenter invitat.

HALÆ,
Typis CHRISTOPH. SALFELD, REGIM. ELECT.
BRANDENB. Typ.

Biblioteca Nazionale NAPOLI V.E. III

VEre quidem & pie Auguſtana Confeſſio docet: *Evangelium non abolere aut diſſipare Politiam*, ſed de eo tamen dolendum, quod in praxi, etiam apud nos, homines eam veritatem ita ſe percipere actionibus ſuis declarent, ac ſi omnes in Republica ſine ulla mutatione manere poſſint in eo ſtatu, in quo fuerunt antea. Hi rectè non reputant, quod eodem loco Confeſſio laudata ſtatuat, *Evangelium tradere juſtitiam internam cordis.* Et hac quidem juſtitia carent omnes homines in Republica, cujuscunque ſtatus, Politici Eccleſiaſtici aut Oeconomici ſint, ſi Reſpublica careat Evangelio, adeoque, cum actiones externæ teſtentur de interna diſpoſitione cordis, neceſſe eſt, ut & hæ in iſta Evangelii carentia longe aliter ſe habeant, atque actiones externæ Chriſtianorum juſtitia illa cordis gaudentium. Quare etſi Evangelium non *aboleat* Politiam, neceſſe tamen eſt, ut propter dicta valde *alterare* eam debeat, & ut hujus alterationis fructus etiam in externis ſive hominum actionibus, ſive etiam ipſorum ſtatuum affectionibus appareant. Quod ipſum vel ex ſtatu *Academiarum* patet. Originem illæ haud dubiè debent Papatui in craſſiſſimis tenebris conſtituto & Evangelii luce privato, quo pacto totus ferè Academiarum nexus, in externis etiam, ſigna AntiChriſtianiſmi aut Paganiſmi præferebat, legibus aut moribus ſtabilita, tanqvam ad decus, ordinem & ſplendorem Academiarum pertinentia. Debebant adeò poſt reformationem & iſti nævi Academiarum, tam communes, quàm particulares ſingularum facultatam, aut etiam docentibus vel diſcentibus proprii emendari, & ſic Academiæ per lucē Evangelii maximè *alterari* Sed debebant. Quam negligenter enim id præſtitum fuerit, alibi ſubinde monuim⁹. Interim non diffitendum, etiam in illa negligenti emendatione, quasdam alterationes laudabiles Academiis contigiſſe, & ita eo reſpectu partim *aliam faciem Academiarum bodie eſſe, ac olim fuerat* ante reformationem, partim *Academias Proteſtantium*, minimum quasdam, alteratione illa, notabilem differentiam *ab Academiis Catholicorum ſtatuum* præ ſe ferre. Peperit reformatio abrogationem *Pennaliſmi*, nec de ea cogitatum fuiſſet à Catholicis, niſi doctores Evangelici ejus turpitudinem ſcriptis ſeriis oſten-

oſtendiſſent. Peperit Evangelium abrogationem ſcurrilium, in *Depoſitione Beanorum* antea uſitatarum, nugarum, in quibusdam Proteſtantium & potiſſimum Reformatorum Principum Academiis, quamvis & nonnullæ, ac fortè pleræque Academiarum Lutheranarum iſtud cacoethes abrogaverint, etſi nec diffitendum ſed dolendum ſit, in quibusdam Lutheranis Academiis, non ſolum ſcurras ejusmodi adhuc publico ſalario ſuſtentari, ſed &, tanquam ad ſplendorem ac decus Academiarum pertineret, pro impio illo ritu pugnari, in tantum, ut meminerim, alicubi inquiſitionem decretam fuiſſe contra Magiſtrum, oppoſitione publica in actu diſputatorio, depoſitiones has ad ineptias Chriſtianos non decentes referentem. Alia omitto. In ſpecie *Jurisprudentiam* quod attinet, ante reformationem abſolvebatur Jurisprudentia finibus duorum librorum miſerè cohærentium, Juris Juſtinianei & Canonici, diſtincta vero & accurrata cura *Juris naturalis, publici*, aut *Eccleſiaſtici* ignorabatur. Si quis enim vel vulgatiſſimum juris naturæ Principium proferret, non valebat, niſi, ſi Philoſophus eſſet, Ariſtotelis, aut ſi JCtus, Juſtiniani autoritate id ſtabiliret. In quæſtionibus vero Juris publici usq; ad tempora Myleri ab Ehrenbach ubiq; leges Juſtiniani, item Bartoli, Baldi, Jaſonis &c. autoritas, utramq; faciebant paginam. In jure deniqve Eccleſiaſtico ultra Jus Canonicum ſapere nemini permiſſum erat. Sed poſt reformationem quanta alteratio ſecuta ſit, ut ortas Profeſſiones Juris Naturæ & Juris publici taceam, ſcripta Proteſtantium JCtorum & Polyhiſtorum, in Jure Naturæ Grotii Pufendorffii, &c. in jure publico, Monzambani, Rhetii, Kulpiſii, Svederi &c. in Jure Eccleſiaſtico Carpzovii, Brunnemanni, Schilteri &c. & longe aliter ac olim in multis Academiis Proteſtantium florentia Juris Naturæ, publici, & Eccleſiaſtici ſtudia oſtendunt. Quem florem etſi admirentur ſubinde cordatiores in Academiis Catholicorum ſtatuum, tamen licentiam ſimilia ibidē tentandi nondum habent. Hinc dependet alia alteratio titulos & privilegia Candidatorum & Doctorum juris reſpiciens. Dicuntur *Juris Utriusq;* Candidati & Doctores utobiq;, ſed non utrobiq; æqvali ſignificatione. In Academiis ſtatuum Catholicorum, ut olim, ita nunc creantur Doctores Juris *Juſtinianei* & *Canonici*. Hoc eſt illud *jus utrumq;* can_

 celli

cellis, ut diximus, horum duorum librorum incluſum; Jus enim Naturæ & Publicum, cujus nobiliſſima ſpecies Jus Eccleſiaſticum eſt, cum ibi non doceatur, quomodo horum jurium Doctores creare conveniens eſſet? Nos vero, cum iſta ex indultu Principum Proteſtantium per gratiam Dei, doceamus, non ſolum Juris Juſtinianei & Canonici, ſed & Juris Naturæ, Juris Germanici publici & privati, & Juris Eccleſiaſtici Doctores & Candidatos creare poſſumus. Poſſent adeo Doctores noſtri titulo Doctorum *Juris quadruplicis*, aut ultra ſuperbire: Sed in titulo faciles ſumus, poſtquam re gaudemus. Illud tamen ſpontè ſequitur, illud *Juris Utriuſq;* ob dicta longè aliter eſſe exponendum, quam apud Catholicos. Scilicet Jurisprudentia omnis in laxiori ſuo ambitu duas ſpecies habet, Jurisprudentiam divinam & humanam; tot enim alibi oſtendimus eſſe ſpecies Jurisprudentiæ, quot ſunt ſpecies legum. Non commodius adeò titulum noſtrorum Doctorum explicare poſſumus quàm quod creemus *Doctores Juris divini & humani*, i. e. naturalis & poſitivi, Romani, & Germanici, publici & privati. Porro docet quam maximè Evangelium, de ſeipſo non magnificè adeò ſentire, ſed potius *ſe contemnere*. Initium à contemtu hoc omnis vera ſapientia ſumit, ſine eo autem omnis eruditio ſumma ſtultitia eſt. Parere hæc doctrina magnam alterationem debet in Academiis. Alligarunt principia AntiChriſti ſapientiam ſuam ad Academias, in tantum, ut quemadmodum extrà gremium Eccleſiæ Romanæ nullam ſalutem eſſe perſvadere intendant, ita & extrà Academias nullam perſvadere velint inveniri poſſe ſapientiam. Tenuit hoc falſum etiam Proteſtantium Academias diu poſt reformationem. Quantæ enim turbæ pro reputatione Academica fuerint excitatæ, poſtqvam Theologus Hamburgenſis Balthaſ. Schuppius in tractatu quodam mentionem injecerat, *ſapientiam etiam extrà Academias inveniri*, ſcripta ab utraq; parte ſtilo parum decenti elaborata oſtendunt. Et multæ, fateor, ſubeſſant cauſæ, quas intereſſe ambitionis & avaritiæ ſuggerebat, impediendi, ne Laicis veritas iſta perſvaderetur, quas in præſenti recenſere inſtituti ratio non permittit. Interim noſtris temporibus ferè perſvaſi ſunt cordatiores inter Proteſtantes, partim rationi-

tionibus, partim experientia, extrà Academias etiam ſapientiam addiſci poſſe. Provocaverat Schuppius, ni fallor, ad exempla civitatum magnarū, abundantia civium honoratiſſimorum varii ſtatus gaudentium. Haud dubie crabrones magis irritasſet, ſi ſtatuiſſet, in ſcholis minoribus quàm Academiæ ſunt, v. g. *Gymnaſiis, poſſe ad æqualem eruditionem atq; in Academiis ipſis perveniri.* Et tamen hæc qvoq; veritas facile ab Academiis doctrina Evangelica alteratis admittetur. Quod ſi quis fortè de ea dubitare velit, exemplo v. g. illuſtris *Gymnaſii Bremenſis*, & quem illud ad nos transmiſit, Nobiliſſimi & Clariſſimi Domini ENNONIS RUDOLPHI Brenneyſen/*Eſena-Friſii*, cujus gratiâ ſcriptionem hanc ſuſcepimus, refutari poſſet. Natus eſt is die 27. Septembr. anno 1670. & à Parentibus optimis, Patre quidem Dn. CAROLO JOHANNE LUDOVICO Brenneyſen JCto & Conſule urbis patriæ, Matre vero Fœmina integerrima TENCKE Schlechts ſtatim à pueritia ſtudiis deſtinatus, miſſus eſt in ludum literarium urbis patriæ, ibiq; rudimenta literarum hauſit, donec patre anno 1682. mortuo, juſſu matris ann. 1685. ſe Nordam, municipium Friſiæ, transferret, ubi fideli informatione Viri Conſultisſimi & Ampliſſimi, *Dn. Johannis Schnellii*, J. U. D. & Rectoris Scholæ Nordanæ meritisſimi per biennium uſus eſt. Eſt aliquid extraordinarium, certè apud nos, Juris Doctores fungi officio Rectorum Scholæ. Non mirum adeò, quod noſter in juventute præceptorem talem extraordinarium nactus, extraordinarios quoq; profectus in ponendis fundamentis futuro Juris ſtudioſo neceſſariis fecerit, quibus jactis conſenſu Matris anno 1687. Bremam profectus, altiora illa ſtudia in illuſtri Gymnaſio Bremenſi incepit. Et primò quidem animum ad jus naturæ ductu Viri admodum Reverendi *Dn. Caſparis Buſſingii*, tum temporis Regiæ, quæ Bremæ eſt, Scholæ Sveciæ Conrectoris, jam Hamburgi Miniſtri Verbi divini applicuit, cujus principiis aliquatenus hauſtis, jus Civile aggreſſus, Inſtitutiones ex ore Viri Excellentisſimi & Conſultisſimi *Dr. Johannis à Rheden*, tum Senioris in Illuſtri Gymnaſio Profeſſoris Juris, audivit, ſub cujus præſidio publicè quoque diſputavit ſuper *decade controverſiarum Juridicarum.* Hoc vero in numerum ampliſſimi Ordinis Senatorii relato, & ita

profeſſioni juridicæ ſubtracto, præceptorem ſibi ſelegit Virum Excellentiſſimum & Conſultiſſimum *Dn. Conradum Iken*, J.U.D. & Profeſſorem inſtitutionum, ipſiusqve lectiones qvà publicas, qvà privatas, præſertim ad Lauterbachii Compendium Pandectarum habitas diligenter freqventavit, & ita ſub hoc ductore aliqvalem Studiorum fiduciam nactus, anno 1692. *diſputationem de Pœnitentiâ in Contractibus innominatis* conſcripſit, & publicè defendit, atqve poſteà opponendo etiam vires ingenii tentavit, ac eâ occaſione Viri Excell. & Conſult. *Dn. Eberhardi Schwelingii*, J. U. D. & moralium Profeſſoris ſingularem erga ſe humanitatem & benevolentiam expertus eſt, cujus commemorationem absqve ingratitudinis notâ omittere ſe non potuiſſe, juſtè cenſuit. Ab his Præceptoribus ſuis Bremenſibus ita non præparatus ſolum, ſed & politus in Juris ſtudio, tandem Anno 1693. ad noſtram Academiam, ut ſtudiis ſuis maturitatem & gravitatem adderet, profectus eſt. Hìc vero diligentia ejus & aptitudo diu in obſcuro latere non potuit. Vix enim huc venerat, cum in publicâ diſputatione invitato à me, pro more, auditorio, extra ordinem, veniâ petitâ ſuper theſibus Juridicis ad diſputandum propoſitis mecum conferret, & toti auditorio non ſolum eruditionem ſuam in jure ſingularem, ſed & artificium in diſputando & modeſtiam pariter non vulgarem in iſto exercitio conſpiciendam daret. Oriebatur mox ex curioſitate conſvetâ ſuſurrus. Hic vero unde? Ex qvâ Academiâ doctrinam hanc ad nos attulit? Audito vero reſponſo, qvod ex Gymnaſio Bremenſi venerit, didicimus, etiam Gymnaſia poſſe eruditos reddere, in facultatibus ſuperioribus, & Doctores tales ob talem Diſcipulum tacitâ veneratione proſecuti ſumus. Ita ergo & mihi innotuit, & cum in converſatione deprehenderem animum, diſcendi, &, qvi fons omnis doctrinæ eſt, nævos proprios emendandi cupidum, amicitiam meam atqve amorem jure ſuo conſecutus eſt. Nam jam tota Facultas noſtra & ejus Illuſtre Caput, illum amore ſuo non indignum judicaverat. Vixit, cum hic fuit, modeſtè & diligenter, &, ſi conſvetum eſſet, talia commemorare, adderem, in cepit & ſemitam Chriſtianæ Vitæ per gratiam divinam calcare. Sed poſtulat jam qvidem hæc pagina commemorationem diligentiæ. Audivit *Illuſtrem Dominum Strykum, Magnificum h. t. Univerſitatis noſtræ Prorectorem*, publicè Cautelas Teſtamentorum,

Auream

Aureꝗm Bullam, Inſtrumentum pacis & jus Canonicum explicantem, privatim vero ad Brunnemanni paratitla & Jus Feudale commentantem. Interfuit & honoratiſſimorum Dominorum Collegarum lectionibus publicis, qvoties aliæ occcupationes id permitterent. Deniqve & *ego* ſingularem ejus diligentiam & attentionem in ſcholis privatis pariter atqve publicis: ad Senecam de Irâ, Puſendorffium de Habitu religionis, Inſtitutiones Juſtinianeas, Prudentiam cognoſcendi ſe ipſum, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, fundamenta Cauſarum Matrimonialium, Hiſtoriam Juris, Ordinationem Proceſſus Magdeburgicam, Inſtitutiones Jurisprudentiæ divinæ, Monzambanum, Titulos lib. I. Cod. de Jure circa ſacra, & Hiſtoriam Germaniæ, bonâ fide atteſtari poſſum. Placuit etiam, ut ſub Præſidio meo anno 93. cum celeberrimi Autoris de ratione Status diſſertationes publicè repeterem, iisqve qvæſtiones ſingulares adjungerem, in defenſione diſſertationis 3. & 4. & adjunctæ qvæſtionis, *an Imperator Wenceslaus legaliter ſit depoſitus & tantis vitiis contaminatus, ut vulgò creditur?* publicum ſtudiorum ſuorum ſpecimen prioribus adderet, & vires ſuas docendo privatim, indulgente Facultate noſtrâ, tentaret. Atqve adeò, ut majorem occaſionem & licentiam nanciſceretur, doctrinâ ſuâ inſerviendi proximo, ante paucos menſes ſub Decanatu tùm meo ab Incluta Facultate noſtrâ admiſſionem ad honores Juridicos & conſveta examina ſubmiſsè petiit, eâqve impetratâ in utroqve examine talem ſe præſtitit, qvalem eum jam deſcripſi. Scilicet talem, qvalem etiam in *diſputatione inaugurali de Jure Principis circa adiaphora d. 13. Septembr.* & in *lectionibus præparatoriis duabus d. 11. & 12. Septembr. horâ pomeridianâ primâ* ſe, Deo dante, publicè iis, qvicunqve audire voluerint, exhibiturus eſt. Contenta & methodum diſputationis ipſa typis expreſſa loqvitur. *Materiam autem lectionum præliminarium duarum* elegit commentationem brevi & ſuccincto diſcurſu expediendam *ad titulum ff. de dolo malo*. in qvâ oſtendet: 1. qvæſtionem de nomine actionis & ejus genere &c. jure Juſtinianeo vanam eſſe & inanem propter *l. 1. C. de formul. ſublat.* 2. Definitionem Tribonianeam actionis in Inſtitutionibus juri veteri Romano non qvadrare: 3. Jus actionum non eſſe diverſum & ſeparatum à jure perſonarum & rerum ex definitione ipſius Triboniani, 4. & inde graviter erraſſe Tribonianum, qvod

qvæ-

qvæſtiones illas de actione competente ex veteribus JCtis absqve judicio Pandectis inſeruerit: 5. Qvomodo principia dicta ad actionem de dolo applicanda ſint, & ejus origo ex Jure veteri Romano deducenda: 6. Falſam eſſe diſtinctionem inter dolum cauſam dantem & incidentem, etiam de jure Romano, 7. item inter dolum cauſam dantem ipſi contractui & fidei habitæ de pretio: 8. Dominium non transferri ex contractu, cui dolus alterius anſam dederit: 9. Exceptionem doli mali competere etiam contra ceſſionarium: 10. Differentiam actionum bonæ fidei & ſtricti juris apud nos ceſſare, imò probabiliter jam tempore Juſtiniani ceſſaſſe, 11. & ſic conſeqventer Titulum ff. de dolo malo, qvatenus Juris Romani eſt, in Germaniâ nullum habere uſum, 12. ut & qvæſtionem illam an obligatio ipſo jure extingvatur, an ope exceptionis? præprimis cum valde contorta hâc parte ſit applicatio Pragmaticorum vulgarium: Deniqve 13. obiter qvaſi & occaſione *l. 11. §. 1. h. t.* jus Romanum nimis favere perſonis in dignitate conſtitutis, ex antiqvâ Ratione Status Romani, artibus Patrum ad opprimendam plebem & ſub jugum redigendam diſpoſitâ &c. His vero actibus ut Magnificus Academiæ Pro-Rector, Illuſtriſſimi & Illuſtres Univerſitatis noſtræ, reſpectivè Mecœnates & Cives, Excellentiſſimi omnium Facultatum Profeſſores, cæteriq; hujus urbis Proceres atq; Collegii noſtri Patroni & Fautores præſentiâ ſuâ intereſſe, vel etiam, ſi libuerit, collatione amicâ atqve honorificâ vires Candidati Clariſſimi tentare velint, decenter atqve amanter rogo, præſentiam ultroneam Florentiſſimæ Juventutis, pro eô, qvô nos mutuo proſeqvimur amore, certò mihi pollicitus. P. P. ſub Sigillô Facultatis, d. 8. Septembr. 1695.

VA152.3760